



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XLIX. Bischof Dieterich von Brandenburg incorporirt dem Kloster Zinna die Kichen zu Luckenwalde und in mehreren Dörfern, am 27. März 1381.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

XLVIII. Das Domcapitel zu Brandenburg verzichtet zu Gunsten des Klosters Zinna auf die Synodalien in Luckenwalde und in einigen Dörfern seines Sprengels, am 16. März 1381.

Nos Hentzo, prepositus, Bertramus, prior, et capitulum ecclesie Brandenburgensis, recognoscimus et protestamur lucide per presentes, quod dimisimus et per hec scripta dimittimus religiosi viris, abbati et conventui monasterii in Cenna sanctae Marie virginis Cisterciensis ordinis, Brandeb. diocesis, ea que ad preposituram nostram spectare videntur per mortem plebanorum opidorum et villarum: Luckenwolde, Cynnou, Pechule, Bardenitz, Frankenwelve synodalia videlicet vestes meliores, equum optimum, librum viaticum, superpellicia et caeteras res, que ad hec pertinere solent, libere et sine omni contradictione cujuscunque in usus suos tollenda, loco quorum synodaliu plebanus in Luckenwolde dimidiam sexagenam, plebanus in Cynnou dimidiam sexagenam, plebanus in Pechule viginti grossos, plebanus in Bardenitz viginti grossos, plebanus in Frankenwelve viginti grossos latos Pragensis monete singulis annis feria quarta proxima post dominicam Letare Jherusalem, qua consuevit hactenus summa synodus in Brandenburg celebrari, absque quacunque excusatione et protractione in Brandenburg perpetue solvere debent et tenentur, in qua summa prenominati viri religiosi abbas et conventus una cum dictis ecclesiis nobis obligantur, salvis procuracione synodali et aliis, que nobis in eisdem opidis et villis debentur ut prius. Et ne super premillis aliquis error seu dubium aliquod oriatum, sigilla domini prepositi et capituli nostri presentibus sunt appensa. Datum et actum Seyfer, anno domini M^o. CCC^o. LXXX^o. primo, XVI die mensis Martii.

Nach Geyfers Abschrift aus einem Brandenburger Copialbuche.

XLIX. Bischof Dieterich von Brandenburg incorporirt dem Kloster Zinna die Kirchen zu Luckenwalde und in mehreren Dörfern, am 27. März 1381.

In nomine domini. Amen. Thidericus, etc. episcopus Brandenburgensis, universis etc. — salutem in filio virginis gloriose. Quoniam homines transitorii sunt, solent igitur ea, quae sunt per ipsos literarum et sigillorum apicibus perhennari. Hinc est, quod propter canonum et legum transgressores, spoliatores, incendiarios et alios malefactores multiformes villae, grangiae et alia bona, ad monasterium sanctae Mariae in Cenna, ordinis Cisterciensis, nostrae dioc., spectantia, in pactibus, censibus, redditibus caeterisque proventibus, prout ex inquisitione diligenti super his per nos habita didicimus, adeo sunt devastata, quod Abbas et fratres ipsius monasterii nequeant ibidem commode sustentari nec ipsis in necessariis possit salubriter provideri. Ne igitur dictos fratres plus quam deceat divagari contingat, et ipsorum religiositas propter hoc maculetur, seu propter defectum temporalium divinum officium in ipso monasterio multimodum sustineat detrimentum, nos debitum pastoralis officii exequi et iusta petentium vota affectu benigno prosequi et ipsorum statum ampliari potius quam arctari volentes, ecclesias parrochiales villarum infra scriptarum videlicet Luckenwalde, Cynnou, Pechule cum filia sua Bardenitz et Franckenfelde, quarum jus patro-

natus ad praefatum abbatem et conventum spectare diposcitur, ad laudem et honorem omnipotentis dei et sanctae virginis Mariae ipsi monasterio seu conventui in augmentum alimentorum et necessariorum dictorum fratrum praehabita bona deliberatione et consensu honorabilium virorum Henzonis praepositi, Bertrami prioris ac totius capituli ecclesiae nostrae Brand. donamus, incorporamus praesentibus et unimus ita, quod, quando et quoties hujusmodi ecclesias vel alteram earum vacare contigerit, abbas, qui pro tempore fuerit, clericum secularem nobis aut nostris successoribus ad eandem praesentare debeat pro institutione canonica obtinenda, cui congruam portionem de fructibus, redditibus et proventibus ipsius ecclesiae pro sua sustentatione debeat assignare, unde subsidia quaecunque sedis apostolicae et ipsius legatorum ac alia jura superiorum nostrorum ac nostra ac nostrorum praelatorum subditorum debita et consueta competenter et sine strepitu valeat ministrare, aliis fructibus, redditibus et proventibus univertis ad usus dicti monasterii et fratrum inibi degentium, prout ipsis visum fuerit expedire, per ipsos convertendo. Ad hoc adjicimus, quod, quotiescunque et quandocunque ab apostolica sede et nobis et successoribus nostris clero nostrae diocesis exactionem caritativam subsidia vel praesidia quaecunque imponi contingit et exigi, exnunc, prout extunc, ecclesiam in Luckenwalde de viginti quatuor, Cynnnow de viginti duobus, Pechule de sedecim, Bardenitz de sedecim, Franckenfelde de quatuordecim fructis solvere debeat secundum ratam de taxatione praemissa ipsis etiam divisim contingentem. Et hujusmodi taxam in eis et quibuslibet earum retinemus. Ad quam quidem taxationem subsidii praedictum monasterium una cum ipsis ecclesiis seu ipsarum rectoribus ultra ratam monasterium specialiter concernentem volumus obligari. Insuper praesentibus protestamur, quod per praemissam donationem, incorporationem et unionem nostram nobis et successoribus nostris et aliis praelatis nobis subjectis nullum praepjudicium de jure vel de facto pro nunc vel futuris temporibus volumus generari. In quorum omnium etc. — Actum et datum Seyerfer anno domini M. CCC. octuagesimo primo, VI Cal. Aprilis, praesentibus strenuis viris: Johanne de Wulkow et Balthasar de Sliven, militibus, et Nicolao de Storckow, Conrado de Clepitz, vassallis, supradictae dioc. et quam pluribus aliis fide dignis.

Nach Heffters Abschrift aus einem Brandenburger Copialbuche.

L. Concession des Probstes Bonifacius für das Kloster Zinna, Güter, welche ihm von den in dasselbe eintretenden Personen zugebracht werden, mit Ausnahme der Lehengüter, anzunehmen und zu besitzen, am 5. Januar 1390.

Bonifacius episcopus, servus servorum dei, Dilectis filiis Abbati et Conuentui Monasterii de Cenna, Cisterciensis ordinis Brandenburgensis dyocesis, Salutem et apostolicam benedictionem. Deuotionis uestre precibus inclinati presentium vobis auctoritate concedimus, ut possessiones et alia bona mobilia et immobilia, que liberis personis fratrum uestrorum, mundi relicta uanitate ad uestrum Monasterium conuolantium et professionem facientium in eodem, iure successionis uel alio iusto titulo si remansissent in seculo contigissent et que ipsi potuissent aliis libere erogare, feudalibus duntaxat exceptis, ualeatis petere, recipere ac etiam retinere sine iuris preiudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere uel ei ausu temerario contraire.